Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Blankenburg

von

Ostern 1852 bis dahin 1853.

Voran geht:
eine Abhandlung vom Herrn Conrector Wiedemann: Observationes ad nonnullos T. Livii locos.

Blankenburg.

Druck der Hof-Buchdruckerei.

1853.

Errata:

Pag. 2: et, quod Drakenborchius.
- 5: dicit pro dixit.
- 7: primo, an fehlt das Komma, daselbst vor Romanos.
- 8: emendata ohne Durchschuß.

Observationes
ad
nonnullos Titi Livii locos.

Procemium.

Livii historiis per viginti et quod excurrit annos discipulorum in usum explicatis, visum est, data scribendi occasione, edere commentarios, inter legendum commentandumque natos, quibus interpretandi scriptoris difficultates quasdam solverem, ut, qui me duce illum legissent, studiorum communium memoriam recordatione repeterent, ac, qui eundem historicum sive jam tractarent, sive tractare cogitarent, levandae operae opportunitate uterentur. Delegi igitur ejusmodi potissimum locos, ad quos recte intelligendos, vel restituendos aliquid consilii vel auxilii afferret mea commentatio si non aliis, certe tamen studiosis legendi Livii adolescentibus. Ubi vero mihi contigerit, ut etiam eruditioribus viris probetur mea de scriptore bene merendi voluntas, habebo cur gaudeam.

Lib. XXV, 31.

„Omnium sibi laborum periculorumque, circa moenia Syracusana terra marique exhaustorum, nequaquam tantum fructum esse, quam capere Syracusas potuisse.“

Sic recte J. A. Ernestius, Kreyssigius ac Drakenborchius ad fidem librorum Mss. atque aptissime ad loci sententiam. Marcellus

enim in hac extrema oratione ad legatos Syracusanos nullum sibi majus praemium potuisse contingere fatetur, quam, tot periculis laboribusque in urbis obsidione perlatis, Syracusarum expugnationem. Mirum in modum Weissenbornius nuper recidit ad alteram scripturam: quod c. se potuisset, quae non dubium est, quin grammatici scrupulo suborta sit, qui, subjecti accusativum desiderans, in infinitivi locum substituto conjunctivo verbum ad personam referret. Quod non opus erat, neque quo lux affunderetur sententiae, neque quo linguae usui consuleretur. Nihil enim frequentius, praesertim apud historicos omitti accusativum subjecti i. e. pronominis, quod e superiore oratione facile possit intelligi. Nihilo minus jam Gronovius pro esse scribi voluit sese sensu loci nec poscente, et quod Drakenborchius taxat, ne concedente quidem. Quod autem de Drakenborchii sententia reflexivi pronominis, iterationem impedit, pronomen illud sibi confirmat ejusdem ellipsin pronominis. Nam sibi, quia praemissum est, ad eandem personam extremum periodi membrum referri posse, et se suppleri satis indicat.

Aptior est tertia lectio librorum Florent. Lovel. 1. 2. 4. etc. „quam quod c. s. potuisset“ ex utraque reliqua, ut videtur, concinnata. Nimirum ea quidem non excludit comparationem, quam ad loci naturam demonstravimus esse necessariam. At, ut alia, quae memorare possem, silentio transeam, omnino conjunctivus ille minus aptus videtur, quo vel in obliqua oratione aliena sententia referatur, quam infinitivus, quo suam fortunam Marcellus memorat.

Lib. XXV, 38. init.

„Ne tamen subita res et nocturnus terror etiam non suae fortunae consilium perturbaret, ad loquendos adhortandosque sibi milites ratus, c. a. ita disseruit.“

Haec jam pridem recepta est lectio. Turbas fecit illud etiam non. Hinc Lipsius e vet. libro et non suae, ac Perizonius etiam

non. Heusingerus autem verba Germanice sic est interpretatus: »Weil er es aber nöthig fand, sich gegen die Soldaten darüber auszulassen, und sie sogar aufzufordern, damit nicht der nöthige Mangel an Vorbereitung und der Aufstand bei Nacht und noch dazu ein in ihrer Lage nicht zu erwartender Plan sie um alle Fassung brächte; so redete er sie in einer berufenen Versammlung so an:« Ad haec ille in adnotatione: Ich nehme mit Perizonius consilium für den nominativ, weil ich glaube, die Worte non suae nicht auf den Marcius, sondern auf die Soldaten ziehen zu müssen: denn das vorhergehende subita res und nocturnus terror kann nur auf die Soldaten gehen, nicht auf den Marcius, der mit dem, was sein Werk war, nicht unbekannt sein, nicht davon überrascht werden konnte« etc. Sic iste quidem minus, quam alias solet, feliciter penetravit in hujus loci sententiam, contortamque Perizonii constructionem secutus est, ipsum vero illud non suae quo quid faceret, nesciret, retulit non ad fortunae vocabulum, sed paullo licentius ad consilium, quocum Livius quidem id non conjunxit. Non potest dubium esse, quin hoc nomen, consilium intelligo, sit accusativus. Clarum est enim, Marcium noluisse suum perturbari consilium a militibus subita re aut nocturno terrore confusis, ut, si fortuna, quam ipse in potestate non haberet, aliquam sui potestatem faceret, hac bene posset uti. Quod quo certius locoque convenientius est, eo facilius intelligitur, illud etiam pertinere ad perturbaret vocabulum. Nam Marcius, si duo incidant mala, i. e. repentinus impetus (vel subita res) et nocturnus terror militum, oratione ad milites cavendum putat malum tertium i. e. perturbationem consilii sui, quo integro possit pro conditione temporis et fortunae opportune agere. Ergo haec mala tria ita complectitur, ut non aliena sit eorum comparatio, cujus vis est in particula etiam. Sensus igitur: Damit jedoch ein plötzlich eintretendes Ereigniß und ein nächtlicher Schreck nicht auch auf die besonnene Benutzung der Umstände des Zufalles störend einwirken möchten, den er leicht in seiner Gewalt hätte, so hielt er eine Ansprache und Ermuthigung der Soldaten für nöthig, berief eine Versammlung und sprach so:

Lib. XXV, 38.

„Vel mea ergo imperatores nostros vivos mortuosque pietas, vel praesens omnium nostrum, milites, fortuna fidem cuivis facere potest, mihi hoc imperium, ut amplum judicio vestro, ita re ipsa grave ac sollicitum esse. Quo enim tempore, nisi metus moerorem obstupefaceret, vix ita compos mei essem, ut aliqua solatia invenire aegro animo possem: cogor vestram omnium vicem (quod difficillimum in luctu est) unus consulere, et ne tum quidem, ubi, quonam modo has reliquias duorum exercituum patriae conservare possim, cogitandum est, avertere animum ab assiduo amore libet etc.“

In hac ingressione orationis ad milites Marcius vix ita sui se compotem esse dicit, ut sibi solatium inveniat, nedum consilium dare militibus possit. Haec loci sententia adeo plana est, ut nemo jam dubitet, quin et orationi Marcianae sit congrua, et his ipsis verbis concepta a Livio. Conspirant igitur cum codd. Mss. et edd. vett. etiam novissimae Kreyssigii et Weissenbornii. Quod unus Sabellicus in ed. Venet. a. 1491 adnotat, probatumque sibi refert Doeringius, consolari pro consulere constructionis usui est convenientius, quam sententiarum ordini. Nam sane quidem in tanta calamitate, quantam tum exercitus Romanus accepit, difficile est animum dolentem consolari; id quod Livius haud quaquam infitiatur, qui se vix potuisse aegro animo aliqua solatia reperire scribit. Sed praeterquam quod solatio opus erat, quo damni accepti levaretur cogitatio, multo difficilius erat Marcio, animum simul et luctu et metu solvere, quo non cum pluribus de communi salute et de hoste arcendo consilium iniret, sed unus omnibus consilio prodesset vel consuleret statueretve id, quod ceteris esset usui et saluti.

Omnis difficultas est in raro usu accusativi ita consulendi verbo adjuncti. Atqui classicus est hoc in genere ille Ciceronis locus (Epp. ad Fam. VII, 11) „Consuli quidem te a Caesare scribis, sed

egotibi ab illo consuli mallem, qui satis superque demonstrat, non promiscuum esse utriusque usum casus accusativi et ablativi; sed diversae structurae diversam congruere significationem. Neque igitur est, cur moneam, casum quartum verbi comitem referri ad personam, quam quis consilium vel sententiam roget, tertium contra pertinere ad eam, cui quis det consilium. Nam illo Ciceronis exemplo declarantur casuum personalium discrimina. — Exstat autem apud Plautum locus, in quo duplex habetur accusativus personae et rei, cum consulendi verbo junctus; Men. IV, 3, 26. „Ibo et consulam hanc rem amicos“ Manifesto hic illud eam habet vim, ut sit interrogare, non suadere aliquid. Sic ad eruendam Livii mentem nihil proficimus, apud quem vestram vicem consulere non potest ita dictum videri, ut sit vobis de salute vestra vel de re vestra consulere. Ipsa loci ratio est ejusmodi, ut ab aliis dicendi exemplis similibus recedendum sit, atque per se dumtaxat sit ille solus spectandus. Consulere vero rem et de re similis sunt et paene ejusdem significationis dictiones. Quodsi accusativi naturam perpendimus, consulere rem nemo potest dici, nisi qui totam rem mente complectatur, vel considerationi submittat, contra qui de re consulere dicitur, nonnulla tantum de ea re expendat necesse est, non de eadem omnia vel totam rem. Itaque Marcius, quod dixit difficillimum esse negotium, sine dubio illud intelligit, quod in re afflicta aegre adhuc affectus solus omnia, quae sint in rem, consulere vel considerare debeat: solere animum luctu ita distrahi, ut haud facile totus in totam rem defigi queat.

Lib. XXVII, 27.

Tum quoque vallo egrediens signum dedit, ut ad locum miles esset paratus, ut, si collis, in quem speculatum irent, placuisset, vasa colligerent.

In his verbis ad locum interpretes tamquam in scirpo nodum quaerunt, explicantque Crevierus statim vel illico et Doujatius

de tempore, Drakenborchius autem vitiose scripta putat, Doeringius ad speculandum vocabula vult substitui. Recte vero Heusingerus: Ich nehme hier nicht paratus ad locum zusammen, sondern vielmehr ad locum für in loco, wie ad urbem, ad Capuam, ad aedem, verba Germanice hunc locum interpretatur: »Der Soldat soll sich schlagfertig auf seiner Stelle halten.« Omnis autem difficultas est in eo, quod esset verbum et cum paratus jungitur et cum illis verbis ad locum utrumque paratus esset copulatur, quamquam cogitandi lege cohaerent sic: esset ad locum, quo vasa colligeret, ergo suum scilicet ac vasario collecto paratus, si collis, in quem cum suis quibusdam speculatum praeiret, placuisset, ad sequendum. Neque igitur signum dedit, ut illico sequerentur, sed, ut ad locum suum quisque iret ibique vasa colligeret (cf. Gell. N. A. 1, 7. de similibus attractionis exemplis) quo, ubi primum eundi signum daretur, sequi paratus esset, nec cunctaretur.

Lib. XXVII, 40.

Postea, quum in Hispania alia super aliam clades, duobus egregiis ducibus amissis, duos exercitus ex parte delesset, multa secunda in Italia Siciliaque gesta quassatam rempublicam excepisse etc.

Gronovius multa secunda gesta latine posse dici et digna Livio esse negans loco hanc de conjectura medelam attulit: — ex parte delesset multa, secundas in Italia Siciliaque res conquassatam r. e. Sic consuesse Romanos et potuisse dici, quis negaverit? Doeringius argutius hoc, quam verius factum existimans, vocabulum gesta glossatori tribuit. Ita vero abjici vult, quod, si abesset, desiderarent omnes, qui latine scirent locique rationem prorsus expenderent. Nam non secunda adversis in genere, sed in specie cladibus, quae sunt secunda, multa gesta opponuntur. Haec si secunde gesta dicerentur, Livius non omnem gestorum felicitatem, sed tantum rationem rerum feliciter gerendarum cum cladibus compararet. Ceterum paene unicum est adverbium secunde apud Gell.

N. A. VII, 3. Contra notum est illud Nepotis Dat. 1. „Obscuriora sunt ejus gesta pleraque." Adde Ovid. Fast. II, 117 „Dii pia facta vident.

Lib. XXVII, 42.

Circa quingentos Romanorum sociorumque victores ceciderunt.

Locus hic multifariam depravatus non modo numerum turbatum exhibet, sed, ut de circa praeverbii usu rariore taceam, dubium est etiam, cujus originis sit verbum ceciderunt, victores autem sintne primo an quarto casu dicti. Clarum est, numero Poenorum caesorum captorumque enarrato jam antea, nunc Romanorum occisorum capita lustrari, item Hannibalem, qui postridie ejus diei suos castris ad Grumentum contineret, ibi pridie non victorem fuisse; itaque victores, qui h. l. memorentur Romanos sociosque esse intelligendos, neque genitivum Romanorum sociorumque passivum objecti esse, nexum e nomine victores, sed pendere e numero quingentos, appositionis autem lege accedere victores. Quam vero impedita haec est et obscura constructio! Multo proclivius erat atque expeditius iisdem vocabulis eandem sententiam exprimere hoc fere modo: Circa vel circiter quingenti Romani sociique victores ceciderunt. Quae quum ita sint, non est, cur quis Mureto auctore victores in participium victi mutari velit, nedum in ductores, plane omisso numero quingentos, referente Sabellico e priscis exemplaribus omnibus. Neque minor admittendus esse numerus, quam D, jam Doeringio recte videtur! Neque etiam fit expeditior illa constructio probata opinione Doeringii ceciderunt a caedere verbo derivantis, sed artificiosior et contortior, sumptis videlicet duobus accusativis, in quorum priore subjectum lateat, in posteriore objectum.

Lib. XXVIII, 2.

Tria millia ferme aberat, quum hauddum quisquam hostium senserat: confragosa loca et obsita virgultis tenebant colles. Ibi in cava valle atque ob id occulta considere militem et cibum capere jubet.

In his verba: „confr. loca et obsita virgultis tenebant colles impedita sunt sensuque carent. Hinc Crevierus et e duobus libris optimis Heusingerus obsiti scribi volunt, Dukerus obsitos, structura loci emendata. Doeringius colles vocem eadem de caussa non cunctatur ejicere. Heusingerus autem sic convertit verba: »Nur die Hügel, von Schluchten durchschnitten und mit Gebüsch bewachsen, hielten ihn (den Silanus) auf.« Sic ille secuit nodum, non solvit; neque ulla est ratio, cur tenebant vocabulum referendum sit ad Silanum, praesertim non adposito pronomine. Quid igitur? si medicinae locus dabitur, scribeturque tegebant pro tenebant, una tantum littera mutata, salva sunt omnia. Hoc autem verbum non ad Silanum pertinet, sed ad colles, quod subjectum est. Hi enim tegebant loca confragosa et virgultis obsita, sic ut hac locorum opportunitate usus, Silanus in valle militem considere juberet.

Lib. XXIX, 26.

Scipio dux, partim factis fortibus, partim suapte fortuna quadam ingentis ad incrementa gloriae converterat animos.

Mirum est, Weissenbornium rediisse in memoriam Drakenborchianae emendationis ingenti - - scil. — fortuna, illius quidem ad vestigia codicis Flor. — ingenti — gloria expressae, recte pensitatis jam a Walchio (Emendd. Liv. p. 205. 59) hujus loci difficultatibus. Nimirum recte vidit ille, has non tam in insolita significatione vocabuli celebratus, quam in ad praepositionis usu non satis recte h. l. observato et intellecto esse positas. Neque igitur confundenda locutio est cum illa, quam Doeringius in mente habuit, efferre

ad coelum usque laudibus aliquem, scribendum existimans elatus. Simile quiddam est illud Livii (IV, 34) celebrare in majus i. e. ultra veri limites. Contra ad incrementa ingentis gloriae Scipio pro fortuna quadam sua a fortibus factis laudatus vel celebratus, quin eousque auctus esse dicitur, ut gloria ejus incrementis ingens fieret. Finem igitur indicat ista praepositio, ad quem usque celebrata fuerit Scipionis gloria. Licuit ergo sane dicere ad ingentia gloriae incrementa: sed quum finis celebrationis non incrementorum esset magnitudo, sed gloriae, gloria quidem ingens praedicari potuit, non incrementum. Neque magis fortuna magnitudine censetur, sed natura sua. Refert enim videre, sitne prospera an improspera, adversa an secunda. Bene igitur se sic habet locus Livii, ut a plerisque etiam hodie scriptus editur: ingentis ad incrementa gloriae celebratus.

Lib. XXX, 44.

Nec esse in vos odio vestro consultum credatis.

Haec verba aliquid obscuritatis habent, ejusque removendae causa Drakenborchio Necesse est scribere placuit. Improbata vero hujus et Crevierii interpretatione Walchius p. 112 restituit scripturam codicum, sententiam interrogativam esse ratus, post credatis verbum interrogandi signo distinxit. Heusingerus autem inferri est illud a Drakenborchio aegre fert, et Walchii interrogationem creditis indicativum poscere opinatur. Hinc iste: Nae esse — credatis scriptum vult Walchianae interpretationis vestigia secutus: „immo maxime credatis". Neque vero vidit, nae particulam nonnisi confirmandi, sed immo corrigendi habere vim. Ceterum Drakenborchianum necesse est prorsus abhorret a sententia loci. Nam si crederent Carthaginienses, quod vult Drakenborchius, sane aptum esset; sed quod necesse est credatis idem dicit, quod non potestis non credere. Atqui non credunt Carthaginienses, sed ipso quidem Drakenborchio volente debent credere; quocirca aut con-

junctivo aut imperativo opus fuit. Acquiescendum est igitur haud dubie verbis seorsum scriptis: Nec esse — credatis. Ego vero haec sic potius explicaverim: Nec velitis credere, esse provisum vestro in vos odio a Romanis. Romani tantum vestro in se odio consuluerunt. Vobis licet vos odisse; itaque rem vestram parum amare, lacrimare, quod tributa pendere jubemini et penditis. Nulla magna civitas quiescere potest. Verendum est enim, ne vos aliquando pigeat levioribus malis illacrimasse. Hanc vero interpretandi rationem confirmat ipsa collocatio verborum: Nec esse in vos odio etc. Praemittuntur enim ista in vos, quae postponerentur, nisi subintelligendum esset, odium in se vestrum quamquam non expressit verbis oppositum.

Lib. XXXIII, 1.

Oppidani, ante lictorem turba acta, insecutum confertim agmen armatorum non ante quam ad hospitium imperatoris ventum est, conspexere.

Grovonius: oppidani, ante lictorum turba acti. Drakenborchius: autem lictorum turba acti, Kreyssigius: ante lictores turba acta, Ernestius, Doeringius et Weissenbornius ante lictorem turba acta. Lictorum non potest intelligi turba, quippe quae, ut turba sit, videatur plurium esse, quam duodecim, nedum sex hominum. Turba potius est oppidanorum. Neque vero turba oppidanorum dicitur, quia non omnium est oppidanorum. Sed oppidani, quorum aliqua turba ante lictorem acta in urbem erat, propter hanc ipsam turbam non conspexere agmen armatorum insecutum, priusquam ad hospitium imperatoris ventum est. Nec singularem numerum i. e. lictorem improbaverim. Neque enim plures lictores jubebantur hominum turbam submovere, sed in usu erat illud: i lictor etc. Sive igitur primus, sive proximus lictor est intelligendus, non tamen ante lictores Kreyssigio suadente, multo minus Gronovianum istud lictorum turba Livio adjudicaverim.

Lib. XXXIII, 41.

Antiochus suam fore Aegyptum, si tum occasio esset, censebat.

Kreyssigius et Weissenbornius nuper scripsere: A. s. f. Ae., si tum occupasset, censebat. Mirarer, si hunc locum sine scripturae varietate ita compositum legerem, quo nihil minus Livianum videri potest. Neque enim commode poterat Lysimachus dici censere, Aegyptum, si suam faceret i. e., suam facere posset aut vellet, suam fore, multo minus autem, si suam fecisset, quod si talia Livius narraret, lectores suos fingeret sensu communi carentes. Immo si scripsit, quod est in Mss., si tum occasio esset, proclive est admodum, ex illis verbis si tum occasio esset conjicere ellipsis supplementum v. c. ejus occupandae. Neque enim Antiochus sperare potuit Aegyptum suam fore, nisi occasio ejus occupandae sibi daretur. Ut suam faceret illam, non sufficiebat voluisse vel consilium cepisse, sed accedere debebat extrinsecus potestas vel occasio, eaque non ex ipsius arbitrio contingens. Ceterum frequens est ille eorumdem verborum usus apud Livium; cf. Gronov. h. a. l. Ex his, quae hactenus disputata sunt, apparet, nos nec posse nec velle jam superiorum commentatorum Gronovii, Dukeri etc. interpretationes et conjecturas censere.

Lib. XXXIV, 54.

Adeo nihil motum ex antiquo probabile est.

Sensus: Adeo improbabile est, quicquid suo statu motum, vel dejectum, vel deturbatum et in alium statum deductum fuerit. Hoc consectarium est, quod Livius e Scipionis poenitentia ducere posse sibi videtur, ita ut vel tantum virum pigeret suasisse, ut suo statu moverentur, quae si mansissent integra, magis placitura fuissent omnibus, quam novissimorum optima quaeque. Enimvero teste Livio poenitebat illum suasisse consulem, ut senatoribus separata a ceteris subsellia in theatro concederentur, quod plerisque displiceret antiquo loco suo plebem moveri, omnino distineri ordines, denique antiquo statu

deturbari omnia. Quae sententia, quo simplicior est et verior, eo minus dubitatio Doeringii potest perspici. Ceterum non est haerendum in usu ex praepositionis, ex qua non modo compositum est verbum emovendi, idque vel apud Livium cum eadem praepositione constructum, ut multitudinem e foro XXV, 1. cf. VI, 38 pestilentiam ex agro Romano emov., sed etiam movere de et cum solo ablativo ejusdem significationis, ut in illis loquendi formulis; senatu, curia, tribu, loco etc.

Lib. XXXV, 36.

Nec movisset se quisquam, si ex templo positis armis vocata in concionem multitudo fuisset et oratio habita tempori conveniens, frequentes inde retenti in armis Aetoli sine injuria cujusquam.

Non satis plana est nec tamen plane desperanda ista verborum constructio. Gronovius quidem locum ita corrigit: „frequentibus inde retentis in armis Aetolis. Id vero non est medelam, sed vim inferre scriptori, et perincommodus ille concursus ablativorum armis Aetolis. Doeringius contra locum ita tentavit: et oratione habita tempori conveniente, frequentes inde retenti in armis Aetoli. Ita sane emendavit locum, non ita tamen, ut eo componeret modo, quo scriptus esset ab ipso Livio, sed quo modo potuisset ab illo scribi. Neque enim de sensu verborum dubitare licet. Offensioni est autem nobis insolens illa ellipsis copulae et verbi auxiliaris in extremo periodi membro, neque vero est ista ejusmodi, ut, etiamsi perincommoda videatur, parumque congrua consuetudini, tamen necessario aliquod supplementum desideret, aut constructionis mutationem. Recte igitur Kreyssigius et Weissenbornius scriptura loci vulgata acquiescendum putaverunt, et jam Heusingerus verba Germanice ita expressit, ut Livii ordinem sequeretur ducemque interpretationis haberet Doeringium.

Lib. XXXVI, 12.

Quos placida oratione territos quum permulsisset.

In his bene sentiente Doeringio magnopere turbat illud territos, non quod sine ablativo, quo metus causa significetur, absolute dicatur, (in quo quamquam minus frequente usu haerendum non est) sed quod cum alieno ablativo eoque praepostere interposito („placida oratione") componitur. Sine dubio Livius debuerat hoc modo verba disponere: „quos territos quum placida oratione permulsisset. At ita retractum illud „territos" non turbat quidem orationem, sed adeo est supervacaneum, ut nec ornet accessione sua locum, nec desideretur omissum. Hoc igitur additamentum, praesertim quum statim antea metu coacti commemorentur, hanc ob causam haud scio an non modo non necessarium, sed vix ferendum sit, et glossatoris interpretamentum potius, quam ipsius manuscriptum Livii.

